



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718



P R A E F A T I O
A D L E C T O R E M.

Tertius iste Miscellaneorum liber destinatus est memoriæ virorum quorundam illustrium veteris ævi, quorum gesta damus ex fide scriptorum coætaneorum. Neque verò necesse est multa præfari de hoc consilio meo, cùm satis sit ostendisse quid in hoc libro contineatur.

Aldrici Cenomanensis Episcopi gesta, dignissima profectò quæ veniant in manus eruditorum, extant in veteri codice MS. Ecclesiæ Cenomanensis, unde apographum ad nos missum est mendosissimum. Sed nos menda bene multa sustulimus ope quorundam frag-

P R A E F A T I O.

mentorum ex iisdem gestis ab erudi-
ta manu excerptorum , quæ ante hos
annos in manus nostras inciderunt.
Vnum illic in primis notatu dignum
occurrit, nullam mentionem fieri epi-
stolæ illius generalis quam Gregorius
IV. in gratiam Aldrici scripsisse dici-
tur , cuius etiam fragmenta reperiun-
tur apud Iyonem & Gratianum. Et ta-
men horum gestorum auctores men-
tionem faciunt in capite XLIV. cu-
jusdam epistolæ ab eodem Gregorio
scriptæ ab Aldricum. Qua occasione
poterant etiam istam generalem, quæ
magni momenti erat , recensere.

Memorabile etiam est decretum sy-
nodi habitæ anno D C C C X X X V I I .
apud Carisiacum , quod refertur in ca-
pite quinquagesimo eorundem gesto-
rum , & quo secundùm canonem octa-
vum Chalcedonensem ceterasque re-
gulas ecclesiasticas monasterium Ani-
solense sive sancti Carilephi declaratur
debere esse subjectum Episcopo Ceno-
manensi , in cuius diœcesi situm est.

PRÆFATIO.

Verùm ea omnia in diversum ferme
mutata postea sunt regnante Karo-
lo Calvo , primùm quidem anno
D C C C L V I . in synodo quinque pro-
vinciarum apud Bonoilum, dein apud
Pistas post sexennium , postremò in
Vermeria palatio anno **D C C C L X I V .**
Vtrarumque istarum synodorum de-
creta vulgabimus in nova nostra col-
lectione Conciliorum.

Vitam optimi doctissimique Car-
dinalis Dominici Capranicæ à Bapti-
sta Poggio scriptam debere me lubens
profiteor Eminentissimo doctissimo-
que Cardinali Casanattæ , qui illam
describi curavit ex veteri codice col-
legii Romani vulgò Capranicensis di-
cti. Fuit autem iste Poggius celeber-
rimi illius Poggii Florentini filius , ac,
nisi conjectura fallit , auctor ac fun-
dator Augustinianorum discalceato-
rum. Narrat enim Augustinus Iusti-
nianus Episcopus Nebiensis in libro
quinto annualium Genuensium fol.
CCXXVI. floruisse anno **MCCCCLXXII.**

PRÆFATIO.

Baptistam Poggium virum doctissimum , ut aperte demonstrant varia ejus opera , illumque initium dedisse congregationi Augustinianorum quos diximus , fuisseque valde amatum à Carolo Rege Francorum & à Galeacio Duce Mediolanensi. Extat in veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ oratio ad Romanum Pontificem Nicolaum V. habita per alterum ex filiis Poggii , sanè eleganter scripta , ac fortassis ab isto Baptista. Porrò vir clarissimus Odoricus Raynaldus aliquot istius vitæ fragmenta suis annalibus inseruit , descripta , ut res ipsa loquitur , ex eodem veteri codice ex quo nos habuimus.

Vitæ clarissimi Cardinalis subjunxi tractatum adversùs eum illo tempore editum à quodam Iordano Bricio Iurisconsulto Aquisextiensi , non quod illum magni faciam , sed ut hinc etiam colligant boni doctique omnes etiam summos sanctosque viros vitare interdum non posse dentes malignitatis.

P R Æ F A T I O.

Nam hic Iordanus pessimè loquitur de viro quem ceteri omnes illius ætatis homines, & inter hos sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, summis laudibus efferunt.

Itinerarium Adriani V I. editum quidem fuit Toleti anno M D X L V I. per Ioannem ab Ayala typographum, curante Blasio Garaio. Verùm cùm ea editio sit rarissima, ac multa contineat notatu digna, & vix aliquis literatorum sit qui illam viderit, rem universo huic ordini gratam me facturum putavi si illam recuderem.

Porrò cùm in hoc libro ediderim vitam sancti Geraldii Archiepiscopi Bracarensis, cuius socius, amicus, ac successor fuit Mauritius Burdinus, usus sum hac occasione ut vitam quoque istius darem à me elaboratam. Videbam enim virum clarissimum, bene olim de Ecclesia meritum, indignissimè tractari à vulgo historicorum, cùm interim certissimum sit ea omnia falsa esse quæ ab illis afferuntur ad ob-

PRÆFATIO.

scurandam gloriam tot illustrium ejus
bene factorum. Debebam primùm
hanc curam veritati , cuius amatores
esse debemus omnes , tum patriæ meæ,
quæ summum hunc virum genuit.
Spero autem eos qui nihilo minus
malè sentire ac scribere de Burdino
voluerint , mihi condonaturos hunc
affectum. Tu certè , lector erudite ,
condonabis , scio ; atque id mihi satis
est. Vale.

